



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Schwartzachium, Schwartzach/ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

14. *D. Brigitta Stibarina* eligitur anno, quo Domina Ursula ex hac vita mortali decessit. Coniuxit hæc aliquam iterum partem vastati ab agricolis cœnobii. Præsides hoc adhuc currente Jubileo feliciter & laudabiliter: cæca quidem occulto Dei iudicio exterioribus corporis oculis, sed non itidem interioribus: foemina pia, prudens ac humanissima, jam septuagenaria.

Schwarzach.

SCHWARTZACHIUM, Schwarzach / in signe Benedicti. Sni instituti monasterium, in ejusdem nominis apud Ostrofrancos ad Mœnum amnem sito oppido, fundatum & liberalissime donatum est in honorem Christi Salvatoris, Beatæ Virginis Mariæ, S. Sebastiani, ac Felicitatis Martyrum, sub Episcopo Herbipolensi Wolfigero anno Christi 815. imperante Ludovico Pio, à Megingaudo, Duce Ostrofrancorum & Comite Rotemburgensi ad Tubarum, Othonis cujusdam Galliarum Regis Nepote, & ab uxore ejusdem, Domina Ima, alibi Imina dicta, Genebaldi Regis Francorum filia: quorum amborum in ejusdem cœnobii templo corpora humata sunt, quamvis sepulchrum, fortassis à seditiosis rusticis misere contractum, hodie nullum appareat. Dedit fundator statim Abbati primo Villam Schwartzachianam, & præterea multa alia loca, expressa in literis fundatoriis, quarum colophon talis est.

Tradimus vobis & concedimus tibi Benedicto & monachis tuis præsentibus & futuris, solius Dei & peregrinorum, hunc locum cum omnibus ibidem contentis, ut orare debeat pro felici statu S. matris Ecclesiæ, & pro incolumitate Dominorum Regum imperantium præsentium & futurorum. Actum in Megingaudenhausen super fluvio Leimbach. Data mense Martio, anno 816. regnante Ludovico.

Catalogus ejus loci Abbatum talis extat.

Abbatum series.

1. *Benedictus* primus Abbas Schwartzacensis eligitur à Megingaudo fundatore anno Domini 815. Præfuit 28. annis. Sub eo obiit Megingaudus 13. Decemb. Sepelitur in suo hoc cœnobio. Cubat eodem loco Domina etiam Ima fundatrix cum filiis duobus, Arnolde & Marquardo. Sub hoc ipso Abbate multi

multi libri ad Bibliothecam scripti leguntur à Treutgario monacho quodam. Regino Abbas ab Alberico Comite quodam eum trucidatum scribit in S. Xisti cœnobio, & Treverim allatum ibi ad S. Maximinum sepultum esse, unde fortassis postea in suæ foundationis cœnobium translatus est.

2. *Madelbertus* præfuit sub Imperatoribus Lothario & Ludovico secundo, Episcopo vero Herbipolensi Gosboldo, electus anno Domini 843. Præfuit annis viginti quatuor. Sub hoc Abbate fuit eodem loco puellarum cœnobium ejusdem ordinis fundatum à Titrada vel Theodoretta, nepte quadam Caroli Magni ex Pipino filio, quæ illud sub Episcopo Gosbaldo tradidit S. Chiliano anno 823.

Monialium cœnobium Schwarzachianum.

3. *Hardowigus* præfuit sub Ludovico secundo Rege, & Arntone Episcopo Herbipolensi, qui intra missarum solennia à Nordmannis trucidatus est in Saxonia. Hujus temporibus Arnto Episcopus anno regiminis sui 25. hoc est, anno Domini 877. hoc monasterium à prædicto Rege in perpetuum jus & potestatem S. Chiliani, post mortem Hildigardis Reginae, ejusq; sororis Berchtæ.

4. *Ebbo* præfuit an. Domini 892. sub Imperatoribus Arnolpho, Ludovico tertio, & Conrado primo, Episcopo verò Rudolpho vel Dracholpho, qui magnus fuit hujus monasterii benefactor, deditq; multos ei integros pagos, quæ donatio confirmata est per Conradum, Regem Romanorum ejus nominis primū.

6. *Alwoldus* eligitur anno 1001. Præfuit annis tredecim. Hujus temporibus Beata Khunigundis imperatrix fecit roborari privilegia hujus cœnobii omnia ab Henrico Claudio & Sancto, marito suo.

6. *Herbertus* eligitur an. Dom. 1014. Præfuit annis duobus.

7. *Waltherus* eligitur anno 1016. Præfuit annis septendecim.

8. *Wolffgerus* eligitur anno 1033. Præfuit annis 14. Aedificavit sacellum S. Benedicti sive oratorium, consecratum à Brunone Episcopo anno 1034. Fuit magnus illustrator sui cœnobii.

9. *Eggbertus* eligitur anno 1047. sub Henrico tertio Imp. & Adalberone Episcopo. Fuit primum monachus S. Gorgonii

Uuu 3 in

in Galliis, reformationis ergò huc vocatus, quam introduxit huic loco secum anno 1047. Fuit vitæ admodum sanctæ, qui etiam miraculis claruisse legitur. Sub eo dotavit & de novo reædificavit hoc monasterium, antea destructum & penitus collapsum, Adelbero, Episcopus Herbipolensis & Comes Leimbacensis, in honore Dei genitricis, & S. Felicitatis Martyris, multaq; eidem contulit, decimas videlicet in Dettelbach, & alia multa. Obiit Episcopus anno 1090. sepultus in Leimbach cœnobio, à majoribus suis fundato & à se consecrato. Abbas vero Eggebertus præfuit annis 27. Obiit 7. Kal. Sept. anni 1075. Eo tempore benefecere cœnobio huic Ludovicus de Castell Comes, item Hermannus Comes, sepulti in Schwartzach.

Biblio-
theca
Suarza-
chensis.

10. *Burcardus* eligitur anno 1076. vivente Adalberone Episcopo. Præfuit annis 20. Fecit pro copiosiore Bibliotheca adornanda scribi libros centum & octoginta quatuor. Obiit 13. Kalend. Februarii anno Domini 1096.

11. *Altmannus* successit statim Burcardo: vixit in Abbatia gubernatione annis 18. constructor egregie jam locupletatæ Bibliothecæ.

12. *Rupertus* eligitur anno 1113. Præfuit annis viginti duobus. Obiit 13. Kalendarum Martii anno Domini 1135. Huic Abbati vendidit Henricus, Comes de Gerlachshausen & Sumerach, bona sua omnia in his locis anno Domini 1115. Idem Comes dono dedit Parochiam de Gerlachshausen, quam habuit feudum ab Episcopo Herbipolensi, huic Abbatia.

13. *Boppo* eligitur anno 1135. Obiit sequente anno.

14. *Wolframus* eligitur año 1136. Obiit statim eodem anno.

15. *Theodoricus* eligitur anno 1137. Vixit annis quinque & universæ carnis viam ambulavit, collectus ad patres suos.

16. *Gumbertus* eligitur anno 1142. Præfuit annis 7. & obiit.

17. *Sigenhartus* eligitur anno 1149. Præfuit 16. annis. Fecit fieri lapideum sarcophagum pro fundatoribus, & construxit facellum S. Joannis.

18. *Goswinus* eligitur anno 1165. Præfuit annis 13. Condidit cryptam, quæ est infra aram S. Crucis, & magnam partem ambitus.

19. *Dra-*

19. *Dragobertus* eligitur anno 1179. Præfuit annis duobus.
20. *Godofridus* eligitur anno 1181. Præfuit annis 32. Habuit sororem *Alehtildin* monasterii hujus benefactricem. Sub eo occisus est *Conradus*, Episcopus *Herbipolensis*, anno Domini 1203.
21. *Dietricus* eligitur anno 1213. Præfuit annis septem, & obiit.
22. *Heroldus* eligitur anno 1220. Præfuit annis tredecim & obiit. Temporibus hujus Abbatis Ecclesia *Herbipolensis* multa substituit gravia mala. Conspiraverant enim contra ejus Episcopum *Hermannum* *Bambergensis* Præsul *Eccenbertus*, *Boppo* item Comes de *Henneberg*, *Rupertus* Comes de *Castell*, aliiq; plures. In hoc turbine & civili dissensione *Schwartzacense* oppidum incendio vastatum & deletum est 10. Kalend. Decemb. quo incendio ipsum etiam cœnobium ferè totum consumtum esse legitur.
23. *Simon* eligitur anno Domini 1233. Præfuit annis quindecim, & obiit tertio Nonarum Aprilis.
24. *Rotgerus* eligitur anno 1248. magnus benefactor, & in cineres superioribus annis collapsi cœnobii & ab antecessoribus mediocriter reedificati felix illustrator: cujus temporibus *Hermannus*, Comes *Hennebergus* in *Castell*, confligit cum *Hermanno*, Episcopo *Herbipolensi*, & succubuit, æstimatiq; sunt eorum, qui ab hora prima diei, qua pugnatum est, usq; ad sextam cæsi sunt plures quam quingenti. Præfuit Abbas iste 23. annis, & obiit 6. Kalend. Martii anno Domini 1271.
25. *Arnoldus* eligitur anno 1272. Præfuit annis 18. Obiit decima Kalend. Maii anno 1290. Ejus temporibus anno Domini 1283. in die *Potentianæ* *Virginis* venerunt *Comites* de *Henneberg* & *Castell* cum magno exercitu, & combusserunt civitatem *Schwartzach*, spoliaveruntq; monasterium, & incenderunt Ecclesiam *S. Felicitatis*, sed Dominus *Udalricus* de *Hauno* fortiter defendit monasterium, ne incendio prorsus periret.
26. *Sifridus* eligitur anno 1290. Præfuit & profuit summe præ ceteris omnibus Abbatibus antecessoribus annis 26. & obiit.
27. *Joan-*

Herbipolensis Ecclesie calamitates. Aliquid mali propter vicinum malum.

Schwartzach oppidum & Cœnobium exurit.

27. *Joannes* eligitur anno 1316. Præfuit annis septendecim. Obit 4. Idus Decembr. Sub eo magnus cœpit concursus ad Dimbachense Idolion quoddam, quod à *Wolframo* Episcopo Herbipolensi erectum erat.

Dimbacher
Walfart.

28. *Henricus* eligitur anno 2334. Instituit & construxit ex fumentium hominum donariis Præposituram in Dimbach. Præfuit annis quinque; & obiit.

29. *Conradus* eligitur anno 1339. Præfuit annis tribus. Fuit ei irreconciliabile bellum cum *Conrado* monacho, Sacellano suo, qui ab aliqua etiam parte cleri electus in Abbatem fuerat.

Moeni
inundatio

30. *Walterus* eligitur anno 1342. Præfuit duodecim annis, & obiit. Sub eo maxima Mogani inundatio fuisse legitur, quæ multos pontes sustulit.

31. *Waltherus* secundus eligitur anno 1354. Præfuit annis decem.

32. *Conradus* de Mejenstets eligitur anno 1363. Præfuit annis undecim.

33. *Crafftus* de Krautheim oppido eligitur anno 1374. Præfuit annis 20. Obit 6. Kalend. Maji.

Herbipö-
lenses Ci-
ves cæsi
ab episco-
po.
Perchtheim

34. *Crafftus* de Bibern eligitur anno 1394. Præfuit annis 18. Obit septima Iduum Septembris. Sub ejus gubernatione Episcopus Herbipolensis *Gerhardus* feliciter pugnavit contra subditos suos seditiosos anno 1399. & ceciderunt cives trucidati prope villam Perchtheim mille & centum. Contra hunc Abbatem insurrexit etiam *Hildebrannus* Zolner, monachus quidam seditiosus, qui Abbatem expulit. Sed Abbas *Crafftus* obtinuit tandem victoriam contra *Hildebrannum* istum, adiutorio alterius cujusdam *Hildebranni*, nobilis viri de Thungen: idque factum est sub Episcopo *Joanne* de Egloffstein. *Zolnerus* vero obtinuit Præposituræ Dimbacensis gubernationem, ne omnino nihil sua malevolentia lucraretur.

35. *Casparus* de Schaumburg eligitur anno 1413. Præfuit annis 17. optimus gubernator. Decessit XVII. Kalend. Octobr.

36. *Seierus* designatur Abbas Schwartzacensis anno 1430. non quidem à Conventu electus, sed ab Episcopo intrusus. Fuit

erat

erat is antea Præpositus facelli S. Mariæ, quod est in castro Herbipolensi. Præfuit per annum tantum unum, & lepra infectus cedere iterum coactus est.

37. *Nicolaus de Glesenberg* eligitur anno 1431. Præfuit 13. annis. Exauthoratus est, quod incio conventu contraxisset debita 12. millium aureorum.

38. *Joannes Wollsius* eligitur anno 1444. Construxit dormitorium & refectorium. Præfuit annis sex, & Abbatia resignata, in Dimpacensi postea Præpositura annis decem. Obiit anno Christi 1460.

39. *Eckhardus* ex Fuldensi S. Andreae Apostoli cœnobio assumtus, egregius reformator hujus cœnobii, eligitur in Abbatem anno Domini 1450. Præfuit annis sedecim, & obiit tertio Id. Decemb.

40. *Martinus*, natione Austrius, ex Noribergensi S. Egidii cœnobio evocatus, eligitur in Abbatem anno Domini 1466. Præfuit annis 28. renovator monasterii, quod muro forti circumduxit. Assumit primus reobservantiam Bursfeldensem. Obiit anno Domini 1494.

41. *Michael*, oriundus de Geroltzhoven, antea Prior, per 18. annos præfuit Abbatiae sub Laurentio Herbipolensi Episcopo annis novem, electus in quadragesima anni 1494. Resignavit anno 1503. Obiit sequente anno.

42. *Paulus*, ex vicino oppido Dettelbach oriundus, ex cellæ magistro Abbas eligitur anno 1503. die Conversi Pauli, præfente Laurentio Episcopo. Præfuit duobus annis totidemq; mensibus, & obiit morbo Gallico anno Christi 1505. tertio Kalend. Aprilis.

43. *Georgius*, patria Herbipolensis, eligitur anno 1505. Præfuit annis 30. Sub eo miserrime vastatum est cœnobium in seditione rusticana, quod ipse tamen cœpit reaedificare anno 1528. Idq; ut facere commodius posset, vendidit omnes suas jurisdictiones in oppido Schwartzach Conrado à Tungen, Episcopo Herbipolensi. Obiit anno 1535. ipsa die S. Jacobi & Philippi Apostolorum.

Oppidum
Schwartzach
venditur.

44. *Joannes*, oriundus ex villa Northeim, filius doleatoris cujusdam, ex Priore eligitur in Abbatem anno Domini 1535. Præfuit quinque annis. Reædificavit cœnobii turres murosque & horrea. Obiit anno 1540.

45. *Nicolaus*, oriundus ex pago Grefenreinfeldt, filius nau-tæ, per 26. annos cellæ antea præfectus, eligitur in Abbatem sexagesimo ætatis suæ anno, quarta feria post Lætare, hoc est, VI Idus Martii, anno 1540. Præest adhuc grandævus & tamen omnibus humanioribus literis summo studio incumbens, hoc adhuc currente anno 1551.

*Sickhin-
gen, ad
Rbenum.*

SECANIS, vel Secanica Insula in Rheno sita, à secato Rheno dicta, vel Seccingense cœnobium, à S. Fridelino, Scotorum & Hiberniæ Regis filio, Philosophiæ studiis præclare imbuto & ecclesiasticæ vitæ imprimis studioso, peregrinatore, plantandæ religionis & propagandi Christianismi ergo inchoatum, octoque Canonis & quatuor Canonicis fundatum anno Domini 495. confirmatum est à Rege Galliarum, Clodovæo. Docuit Fridelinus iste circumquaque in Galliis, tandem Pictavium venit ad S. Hilarium, ubi postea in ejusdem cœnobio pater monachorum extitit, ac S. Hilarium transtulit & de terra elevavit, ac magnificum ibi cœnobium Clodovei subsidiis erexit. Discedens postea inde in Belgium primum ad Mosellam venit, à quo amne non procul rursus in honorem S. Hilarii aliud monasterium inchoavit, quod hodie Helera vel Hilariacum vocatur, idque S. Naboris cœnobium esse existimatur. Relinquens vero & hunc locum, paulo post in Vosagi altis cacuminibus templum etiam S. Hilarii erexit. Venit autem & Argentinam, ibique simile sanum condidit curavit. Inde per Burgundionum provincias ambulans ad Curiam Rhetorum venit, ubi rursus de S. Hilarii nomine Ecclesiam construxit. Postremo autem Augiæ isti Seckhingensi ap-pulit, ut in ea etiam insula ædiculam conderet, sed ab habitatoribus deprehensus, virgis cæsus & ex insula ejectus est. Venit igitur ad Regem Clodoveum, cui concionans aliquoties, mox ab eo totius insulæ donationem liberrimam impetravit. Quoties

*S. Fridel-
linus Re-
gis Hiber-
niæ filius.*

*...
...
...*

...